



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **AntiLutherus Judoci Clichtouei Neoportuensis. Doctoris Theologi, Academiae Parrhisie[n]sis**

**Clicthove, Josse**

**[Köln], 1525**

**VD16 C 4189**

Qua[...]uis eua[n]gelii[m], ad salute[m] sit suffice[n]s, no[n] t[ame]n  
o[mn]ia in eo ap[er]te ac particulatim co[n]tineri, q[uæ] nobis ad  
co[n]seque[n]da[m] uita[m] [a]eterna[m] sunt nec[ess]aria ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36183**

in ecclesia sancta ordinata: ut pote tēpore apostolorū & apostolico rū uitorū, secundū ordinē diuinæ sapientiæ. Alia uero: longo post interuallo, succedentēq; multo posterius tēpore. quēadmodū spiritus sanctus, qui omnium est artifex, omnia p̄spiciēs, omnia cognoscēs: ipsi ecclesiæ (cui semper assistit director) nouit cōmodius expedire. ¶ Ex his itaq; ad ea quæ hæc prima proponit obiectio: aperta patet responsio. Admittēda siquidē sunt omnia, quæ in ea assumunt: hoc uno excepto quod adducit, apostolos extra euangeliū & ultra illud, nulla adiecisse præcepta obligatoria. id enim superioribus locis ostēsum est: longe à ueritate alienum esse. Negādū est tamē, quod in hac aduersariorū ratiōe colligitur: & ipsa pariter cōsecutio, improbāda. Est enim inualida prorsus: hæc ratiocinatio. Christus in euangelio non dedit aperte hoc præceptum: exempli gratia, de ieiunio quadagesimæ aut quatuor temporum. ergo illud non est obseruandū. Similiter & ista: penitus consimilis priori. Apostoli non constituerūt nec explicuerunt tale præceptū: ut de audiēda missa diebus festis, de confessione peccatorū faciēda in festo paschæ, aut recipienda tunc sacrosancta eucharistia. ergo illud nō est obseruādum ea distinctione: ut transgressio eius efficiat hominē peccati mortalis reum. Quoniā per locū ab auctoritate inepra sumitur argumētatio: inficiatoriam illationē contexens ex assumpta propositiōe negatiua. Insuper quod nō explicuit Christus manifeste: partim apostoli, & partim eorum expresserunt (Christo semper authore præcipuo) successores. Ita quod aperte nō de clararunt suis traditionibus apostoli: instituerūt illud posterioꝝ, & subsequētibus apostolica tēpora seculis ecclesiæ primates. accepta, ut id agerēt sanctionesq; nouas statuerēt, à Christo potestate: qui uoluit longa tēporū successione & paulatim suā ecclesiā talibꝝ præceptis roborari & muniti.

¶ Quāuis euāgeliū, ad salutē sit sufficiēs: non tamē omnia in eo aperte ac particulatim cōtineri, quæ nobis ad cōsequēdā salutem æternā sunt necessaria. **Cap. XIII.**



Secunda aduersariorū obiectio. Lex euāgelica siue euāgeliū: est ueritas cōsummata & sufficiēs ad salutem. Ipsa quoq; perfectū est exemplar & regula uitæ: continens omnia quæ necessaria sunt homini ut

h saluus

V

Cap. 3. & 4.

LIBER PRIMVS

saluus fiat. Regula inquam immutabilis, quam qui sequitur: ambulat in luce, qui uero ab ea deflectit iter, aut superaddit illi humanas adinventiones: in tenebris ambulat. Non igitur potest synodus patrum aut pontificum autoritas, ultra ea quam in euangelio expressa sunt, noua condere precepta: quorum transgressio tam graui poenae subigat hominem. Nam & superuacua censi debent illa, minimeque necessaria: & propter Christi intentionem constituta, cum ipse solum ad illa nos obligare intendit, quae manifeste in euangelio expressit.

**II** **R**esponso. Sufficiens quidem est euangelium Christi ad bene beatumque uiuendum: & precepta quae continent sufficientia ad salutem. sed non omnia particulatim ac peculiariter in eo explicatur: quae facienda nobis sunt ut salutem consequamur. Continetur sane multa precepta, immo omnia quae postea sunt expresse superaddita: in his duobus preceptis euangelicis. Audire debent omnes ecclesiae: alioqui a caeterorum communiore sequestrati sunt. Quae dicunt praesulati ecclesiastici: facienda sunt. alioquin in illis spernit deus: si contemnant. Verum tamen ad fidelium salutem expediebat, ea quae non fuerant in euangelio expressa: sensim & pedetentim successioneque quadam temporis, per traditiones apostolorum, per sacrosanctas synodos, atque per constitutiones ecclesiasticas, modo obligatorio exprimere: ut commodius fieri a nobis queant.

**Mat. 18.**  
**Mat. 23.**  
**Luca. 19**  
**III** **C**o simili plane modo, ueteris legis precepta quae continent decalogus: sufficientia quidem erant ad salutem. Non tamen idcirco superflua censeri debet eorum clarior explicatio & recta interpretatio: quae Matthaei quinto cap. assignat, quin immo illa etiam ad salutem est necessaria & utilis. Sic & duobus preceptis charitatis, de diligendo inquam super omnia deo, & proximo propter deum: sufficientia sunt ad salutem assequendam, quoniam in illis duobus mandatis tota lex pedet & prophetae. Sed nunquid ea ob rem superuacua dicenda sunt decem precepta decalogi: exprimentia illorum duorum mandatorum sensum ac clarioris intelligentiam, aut minus ad salutem necessaria: Nequaquam profecto. Nam & haec, uoluntibus ad uitam ingredi obseruanda sunt: & complicantur in illorum duorum preceptorum sinu. Haud secus & quae continent sacrum euangelium: sufficientia quidem sunt ad salutem. Verum indigent latiore explicatione & expressione nonnullorum: quae suppressa inibi delitescunt & abstrusa sunt.

**Mat. 5.**  
**Mat. 22.**  
**IIII** **H**uiusmodi autem explanatio & superadditio, facta est per traditiones apostolicas: & sacrorum conciliorum instituta. Quae nequaquam appellari debent adinventiones humanae: ut contumelioso nomine ea uocat Lutherus

therus, & qui suæ adhærent factioni. Quoniam non humano sensu aut arbitratu tantum, sunt ordinata: sed suggerente spiritu sancto. Nec pure & solum humana sunt statuta: quoniam non solum in nituntur rationi naturali, ut leges ciuiles: neq; in solo illius lumine sunt condita. sed ex sacrarū literarū canone & inibi expressis recto ratiocinio subinde deducuntur. & idcirco diuinorum p̄ceptorū aliquid quoquo modo p̄cipiant, neq; ab eorum conditione sunt omnino (quātum ad obligādi uim) aliena. Neque eadem ecclesiæ p̄cepta, sacro euangelio sunt cōtraria: immo quā maxime cōformia, & ad pleniorē eius obseruationē plurimū faciētia. Demū nec ipsa sunt p̄ter Christi intētionē: ut assumit hæc obiectio. sed ab eo magno opere approbata: eiusq; directiōe & p̄sidio instituta primum, & hactenus usū nō intermisso obseruata, & ad finem usq; seculi illabefacta futura. ¶ Tertia obiectio. Apostoli in quibus Christus & spiritus sanctus loquebatur: potuerūt quidē diuina p̄cepta interpretari, suisq; determinare circūstantijs, & ubi opuserat noua sup addere p̄cepta: & alia ad directionem ecclesiæ faciētia constitutere. Alij uero qui apostolica tempora secuti sunt pastores ecclesiarum: nō eā habuerūt spiritus sancti exuberātiā neq; uitæ sanctitātē sicut apostoli: sed ab illa uirtutū excellētia multū degenerarūt. Quare nec illis ita Christus astitisse nec spiritus sanctus astitisse credēdus est: neq; illorū direxisse cōcilia, aut decreta ordinasse. Quin immo nec eiusdem fuisse authoritatis cum primis illis patribus, nec potestatis in administratione rerū ecclesiasticarū uident, propter magnā ab eis morū discrepātiā. Nō habuerūt igit̄ saltē hi posteriorēs: ius & facultatem ordinādi cōstitutiones ecclesiasticas. ¶ Respōsio. Admissis omnibus quæ hic assumūtur: negādum est id omne quod colligit & inferit. Quia sicut in locū beati Petri successerūt aliq; suo quisq; tēpore summi p̄sides, parē cū illo potestātē sortiti: ita in locū apostolorū successerūt ecclesiarū episcopi, eādē habentes docēdi ac regēdi gregem dominicū cū illis authoritatem. quæ admodū p̄hibet Anacletus, sancto Clementi in supremi pontificatus moderatiōe, p̄xime succedēs, apostolisq; p̄pemo dū coæuus, in eo decreto: quod adducit auctor libri decretorū: uice sima prima distinctione, cap. in nouo testamento. Et quis in posterioribus ecclesiæ p̄latis minor sit sanctitatis ac doctrinæ p̄stantia,

v

vi

Anacletus.



LIBER PRIMVS

ria, ac spiritus sancti gratia quae in apostolis: id tamen nullatenus derogat illorum dignitati administratoriae & authoritati gubernandae ecclesiae. Quonia haec potestas nequaquam consistit nec fundatur in sanctitate uitae, eminentia doctrinae aut spiritus sancti exuberantia: sed in accepta episcopali iurisdictione atque pontificali ordine & gradu. quandoquidem non minore habet potestatem pontificiam malus: quae bonus episcopus. Et Caiphas prophetauit, non quia bonus erat: sed quonia pontifex anni illius. Cum igitur posteri ecclesiae rectores aequalis sint potestatis quantum ad ecclesiae regimen cum apostolis, quamuis nec apostoli sunt nec prophetae: etiam aequaliter habent auctoritatem instituendi noua praecipua ad populi Christiani gubernationem sicut apostoli, atque ita obligandi subditos suis institutis ad haec obediendi districtione: ut transgredientes ea declarent obnoxii culpa mortali, reddanturque rei damnationis aeternae, sicut illi primi patres. neque recipiendum illud est unquam, quod affert praesens obiectio: nec Christum nec spiritum sanctum affuisse posterioribus illis ecclesiae pastoribus nec hodiernis adesse, in istis quae ad totius reipublicae Christianae & ecclesiasticae pertinent gubernationem: sicut astitit apostolis. Quoniam nunquam defuit ipse super bonus spiritus, neque defuturus est unquam directio ni ecclesiae catholicae. Non enim abbreviata est manus domini: ut saluare nequeat. Alioquin iam olim destituta esset ecclesia sponsa Christi, directione spiritus sancti: & amplius ab eo non gubernaret. Destituta itidem esset praesentia & praesidio Christi dilectissimi sponsi sui: qui pollicitus fuerat se illi affuturus omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. quod omnino impium est sentire: ac profusum absurdum.

**VII.** ¶ Sed dicant uelim, qui haec obiectant: nunquid legis euangelicae tempus, & gratiae per Iesum Christum factae: ad tempora tantum apostolorum extentum est. & cum eorum felicitate ex hoc mundo transitu consummatum ac finitum? Nunquid & sacramentorum ad curandos animarum nostrarum morbos a Christo institutorum uis & efficacia, in solis id saeculum quo hic agebant apostoli, est indulta a deo: & non in ulterius temporis curriculum? Quod si (ut debet) non admittat, sed fateantur etiam ad nostrum usque saeculum gratiam euangelicam legis & sacramentorum antidotum protendi, quinimmo secundum Christi promissionem, ad finem usque saeculi extendendum: quare consimili ratione non fatebuntur constituendorum pro utilitate ecclesiae decretorum authoritatem, per totum

rum euangelicæ legis decursum & hac itidē tēpestate & ad finem usq; mundi penes ecclesiæ principes illabefactā manere; cū hæc sit indiuiduo nexu atq; perpetuo, ecclesiæ orthodoxæ coniūcta: neq; ab ea diuellatur unq; sed continuo cū ea defluxu cōsistat. Siquidem apostolis & eorū nomine præcipuis ecclesiæ suæ sanctæ rectoribus promisit Christus se datūq; spiritū sanctū: ut maneret cū eis in æternū, non aut per certa tēporū interualla, quib⁹ exactis; auferretur ab ecclesia spiritus sanctus, neq; ei amplius assisteret.

¶ Veteris legis cærimonias, ab apostolis aboleri iussas: nō aut sanctiones sacras, in nouo testamento ad integriorē euangelij obseruationē ordinatas. Cap. XV.



Varta aduersarioꝝ obiectio. Apostoli in suo cōcilio (qd̄ actū decimo quinto capite describit) cōgregati: noluerunt humeros fratrum præceptis grauib⁹ onerare. Et beatus Paulus in suis epistolis passim libertatē prædicat: in lege euangelica (quæ lex est p̄fectæ libertatis) amplectendā. proinde cærimonias & traditiones pat uifacit; ac seruitutē abiicit hominū. Immo & Christus: iugum suæ legis appellat suauē. quod, ne premerent apostoli maiore pondere: non ausi sunt noua adiungere præcepta ad ea quæ Christus expresserat, qui tamen sapientiores erant & spiritu sancto pleniore: q̄ eorum posteri & successores in ecclesiæ gubernatione. Quomodo igitur id recte attentabunt præfules ecclesiæ ipsi tempore posteriores, uirtuteq; & sapiētia inferiores? ¶ Respon̄sio. In cōcilio illo citato noluerūt qd̄ apostoli imponere fratrib⁹, ex gētilitate ad Christum conuersis iugum legalium cærimonarum, & Mosaicæ legis obseruantias. Eisdem quoq; & Paulus in suis epistolis merito refutat: libertatem ab illis prædicat, seruitutemq; rituum illorum ueterum summopere damnat. Demum suæ legis iugum, suauē astruit & leue Christus dominus noster: quia nequaquā grauatam onere Mosaicarum obseruationum, à ueteri lege nos liberat. Neq; etiam pastores ecclesiastici iugum ueteris legis & eius cærimonias iā olim abolitas, possent humeris suorū subditorum imponere: neq; illud etiam attentant. Ex hoc tamen nequaquam conficere quisq; recte queat: q̄ non possint ipsi proceres ecclesiæ noua constituere præcepta, non quidem ad ueteris legis, sed nouæ & euangelicæ commo-

Ioan. 14.

I.

Actū 15.

Gala. 4.  
Philippen. 3.  
Coloſſ. 2.

Math. 23.

II.